





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
**MEDICAMENTA
 LAPIDOSA**

ΕΝ ΕΚΙΑΓΡΑΦΙΑ ΣΙΣΤΕΝΣ,
 DEO TER OPTIMO SECUNDANTE,
*AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSÆ FACULTA-
 TIS MEDICÆ*

IN PERANTIQA ELECTORALI HIERANA,
 SUB PRÆSIDIO

DN. HIERONYMI *Rudolfi*,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,
 FACULTATIS MEDICÆ AC PHILOSOPHICÆ ASSESSORIS ORDINARII, NEC
 NON CHYMICÆ ET MATHEMATUM PROFESSORIS PUBLICI,
DOMINI PATRONI, HOSPITIS ET FAUTORIS HONORATISSIMI,

PRO LICENTIA

SUMMUM IN ARTE SALUTARI GRADUM CUM
 ANNEXIS PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS
 MORE RITUQUE CONSVETO CONSEQVENDI
 PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI SUBJECTA

^A
CHRISTOPHORO THOMA,

GÖRLICENSI,
 AUTORE ET RESPONDENTE
DIE XI. FEBRUAR. ANNI MDCC XXI.
 IN AUDITORIO MAIORI COLLEGII MAJORIS
 HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ,
 Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Academia Typographi.

DEO,
PROXIMO
ET
AMICIS.

CHRISTOPHORO THOMA

IN AUDITORIIS MAIORI COLLEGII
HONORABILIS

MDCCCLXXII





L. B. S.

CAPUT I.

De
Natura & Differentia Medicamentorum
Lapidosorum.

§. I.



Ntequam ad ipsam tractationem me ac-
cingam, paucis innuere volui, vocabu-
lum *Lapidosum*, heic loci à me non in
sensu stricto, pro solis concretis Regni
Mineralis, quæ proprie nomine Lapi-
dosorum veniunt; sed in *sensu paulo*
laxiori, ita, ut, præter ea, concreta quo-
que Regni tam Vegetabilis, quam Ani-
malis duriora sub se comprehendat, assumi.

§. II.

Quibus præmissis, rem ipsam aggressurus Definitionem
horum Medicamentorum præmitto. *Sunt autem Medicamenta*
Lapidea, ea medicamenta, quæ ex triplicis Regni partibus principii
passivi constitutivis durioribus, magis inspidis & inodoratis preparan-
tur, & agrotis plerumque in forma pulveris ideo exhibentur, ut
in corpus assumta, liquoreque gastrico subacta \ominus *s. acrimoniam a-*
cidam

A 2

*cidam inibi latitantem, in se recipiant, quibus alteratis & tempera-
eis, chylus in tantum dulcior evadit, in sanitatis emolumentum.*

§. III.

Dum dico Lapidosa esse Medicamenta Principii Passivi, statim excluduntur Medicamenta Principii Activi. In eo autem, quod ex Principii Passivi partibus constitutivis durioribus consistit, differunt quoque à Medicamentis ratione Principii Passivi magis aquosis & vis: cum priora fluida, posteriora vero quidem solida, sed facile friabilia & va solubilia; Lapidosa vero magis exsiccata & compacta, & non nisi de fortiori fusibilia sint. Medicamenta denique ratione Principii Passivi magis tina & aera, differentiam à Lapidosis in se insipidis & inodoratis, sapore & odore suo satis produunt.

§. IV.

Hæc cujusvis Regni Medicamenta Lapidosa non incongrue dividuntur in nativa (h. e. quæ naturâ talia existunt,) & præparata s. quæ arte talia eliciuntur, & ad usum medicum apta redduntur.

§. V.

Non supervacaneum fore spero, si nunc quoque ex quovis Regno Medicamenta ejusmodi Lapidosa tam simplicia quam præparata, quantum quidem spatii angustia permittet, in medium proferam.

§. VI.

Sic partes concretorum Regni Vegetabilis reliquis duriores Medicamenta sic dicta Lapidosa nobis concedunt, mitiora quidem, aut in absorbendo & præcipitando eundem cum Lapidosis proprie sic dictis effectum, imo nonnunquam, præsertim in subjectis tenerioribus aptiorem præstantia. Quales partes duriores sunt: Radices & cortices solidiores arborum quarundam, ut: cortex quercus, fraxin. granat. samb. &c. Cortex item exterior nucleorum, persicorum scilicet, ceraforum aliorumque; Ligna quædam duriora v. g. laudatissimum illud empiricorum quorundam antifebrile, quod

externum quam internum conducentes v. g. filices ppt. pumices, lapis calaminaris &c. Limatura Ꝛtis, item hamatites &c. ad lapidosa magis mixta hujus regni pertinent. Circa quæ hoc specialiter notandum, quod lapides nativi sæpe unum alterumve Minerale vel simplex vel magis compositum admixtum habeant, cujus mixturæ vires modo supra dicto exinde præparata retinent firmiter, quod in lapide hamatite observatur, qui revera Mineræ Ꝛtis particeps est, ideo non raro à Medicis, quando Ꝛem in substantia porrigere non audent, ad sic dictum acidum primarum viarum destruendum, loco limaturæ Ꝛtis ordinariæ recipitur hic lapis hamatites pptus.

Deprehenduntur quidem in catalogis officinalibus, sub classe medicamentorum lapidosorum adhuc alia, quæ vero ratione substantiæ potius ad classem medicamentorum vel sulphureorum vel salinorum pertinent, v. g. succinum ppt. & lapis salutis seu medicamentosus Crollii &c. Quæ de natura & differentia medicamentorum ratione principii passivi magis lapidosorum dicta sufficiant,

CAPUT II.

De

Modo Lapidosorum Medicamentorum operandi,

§. I.

Postquam Capite præcedenti de Natura aliisque circumstantiis medicamentorum lapidosorum pauca quædam edisserui, ulterius me nunc progressurum instituti ratio jubet, ut de modo quoque horum lapidosorum operandi explicando, sollicitus sim.

§. II.

Sunt autem lapidosa hæc ex genere medicamentorum humo.

humores in corpore nostro vitiosos alterantium. Cum vero humores non uno eodemque modo vitiiati deprehendantur; sed propter diversas eorum partes constitutivas, alio tempore nimis visceri, alio nimis fluxiles, alio nimis acres & rursus alio tempore magis mixte vitiosi constituti sint: patet exinde simul medicamentorum alterantium diversitas, dum nunc diluentia, nunc incrassantia, nunc temperantia, nunc his aliisve mixta, pro scopo alterandi adhiberi necesse sit; è quibus diversis medicamentis alterantibus lapidosa, de quibus hoc loco sermo est, virtutem, humores acres temperandi, eosdemque postmodum ad eo meliorem & sine noxa convenientibus remediis instituendam evacuationem præparandi sibi vindicant.

§. III.

His præmissis, nunc quoque modum horum Lapidosorum in alteranda & temperanda, imo nonnunquam plane destruenda humorum acrimonia acida operandi generatim quidem explicare tentabo. Equidem Lapidosa, postquam in corpus assumpta sunt, mere saltem passive se habent; Salia vero seu Acrimonia acida in primis viis latitantia eadem mediante liquore gastrico aggrediuntur, illisque miscentur, quo facta, spicula salina in poris medicamenti lapidosi quasi occultantur, & vis eorum corrosiva in falsam mutatur & in tantum temperatur; chylus autem hoc modo justam consistentiam consecutus nunc melius quoque nutritionem partium corporis absolvit. Si vero salia ex primis viis ad sanguinem, & cum ipso ad partes solidas transgrediuntur, aut salia acida, partibus ipsis solidis inhabitantia, propter defectum partium duriorum chyli & sanguinis non saturantur, sed sui juris facta in illis varias læsiones introducunt, tunc Lapidosa salia hæc in partibus furientia non immedie, (cum non credibile sit, quod in substantia seu corporaliter chylo & sanguini permisceantur, aut cum illo ad partes solidas sæpe remotissimas abeant,) sed mediate, (mediate scilicet chylo & sanguine arterioso modo antecedenter descripto alterato & temperato) quasi absorbent & præcipitant.

§. IV.

His, quæ jam in genere de modo operandi Lapidosorum dixi, pauca quædam adhuc adjungam, quæ modos quosdam operationum Medicamentorum Lapidosorum speciales explicare valent. Notum est, Lapidosa non raro a Medicis Practicis pro scopo sudorem movendi adhiberi. At, qui naturam horum Medicamentorum cognitam satis perspetamque habet, incicias ire non poterit, hisce lapidosis quæ salibus nullatenus vim sudoriferam inesse, hinc etiam ex experientia constat, quod ea neque semper neque in omnibus subjectis hunc effectum præsentent: quoniam vero ex eodem fundamento contrarium obijci potest, quod nimirum interdum hæc lapidosa sudorem moyeant, ostendere hoc loco necesse est, ubi & quomodo dicta Lapidosa hunc effectum præsentent? nimirum in iis saltem subjectis in quibus salia acida in primis viis hærent, hic effectus conspicuus est, cujus effectus modus operandi talis est: Lapidosa in corpus nostrum assumta & salibus acidis in primis viis abundantibus permixta & unita, salia hæc acida seu fortiora in salsa seu miriora immutant, qua durante actione, calor in ventriculo augetur, sanguis velociori motu circulatur, quo ipso pori cutis magis patentiores facti, loco insensibilis transpirationis, sudorem copiosius profluere patiuntur. His ita sese habentibus, nemo non videt, lapidosa non immediate sed mediate (mediantibus scilicet salibus acidis in ventriculo presentibus, & per accessum Lapidosorum in salsa mutatis, qualis naturæ alias sudorifera proprie sic dicta esse constat,) sudorem movere.

S. V.

Eodem fere modo Lapidosa nonnunquam vomitum, frequentius vero feces alvinas movere, experientia testis est. Videlicet quando eadem salia acida excessiva quantitate & gradu in primis viis abundant, propter simplicem autem eorum naturam absque vehiculo à natura ipsa expelli non possunt, vine opus est, ut, per exhibitionem Medicamenti Lapidosi

pidofi natura eorum simplex immutetur, quo facto, acida cum lapidosis magis minusve mixta fortiolem quoque mitioreve hinc gradum falsedinis induunt, & sic papillas nerveas tunicæ vel stomachi vel intestinorum tamdiu stimulant irritantque, donec a natura interdum per os, in vomitu, frequentius vero per anum, in dejectione fecum alvinarum, è corpore non sine magna ejusdem commotione doloreque eliminentur.

§. VI.

Deprehenduntur in Practicorum libris Lapidosa quoque sub classe diureticorum. Ast quod in antecedentibus dixi, etiam hoc loco repeto, quod scilicet hoc iterum non nisi in subiectis acrimonia acida in primis viis repletis modoque ibidem exposito, fieri possit. Lapidosa enim in se sunt inspida, adeoque ad hunc effectum immediate producendum inepta: sunt autem salsa per admixtum acidum illud in primis viis, & tunc demum præstant id, quod alias diuretica salsa seu proprie sic dicta, nimirum vere quodammodo massam sanguineam commovent, absque tamen sudore, specialiter autem stimulant vellicantque renes & vesicam ad excretionem lotii.

§. VII.

In eisdem in subiectis eodemque plane modo Lapidosa cum acidis mixta, stimulando nimirum fibras renum vel vesicæ calculum, nondum tamen concretum pellere, probabile est.

§. VIII.

Eadem Lapidosa, acidum in primis viis imbibendo, calorem in tantum augendo, & sanguinem paululum agitando, status quoque pellentia evadere observatum est.

§. IX.

Conspiciuntur Lapidosa quoque sub numero Medicamentorum lac augmentum, quando nimirum hic defectus lateris ab acido in primis viis enormiter abundante dependet, unde chyli, sanguinis & lactis productio impeditur, quoniam

consistentia ejusdem justo fluidior & aquosior evadit, ita, ut loco lactis serum saltem effluere observetur. Si vero per Medicamenta Lapidosa acidum hoc in primis viis supprimitur, imbibitur, & temperatur, statim apparet, quomodo sanguis & chylus justam suam consistentiam acquirat, & exin- de lactis productio sequatur.

§. X.

Reliqua quæ hic loci adhuc explicanda occurrere possent, partim ex antecedentibus facile intelligi poterunt, partim etiam in subsequenti Capite III. pluribus innoscent.

CAPUT III.

De

Ufu Medicamentorum Lapidosorum.

§. I.

Post explicationem naturæ & modi operandi Lapidosorum. Capite I. & II. factam, ordinis ratio nunc postulat, ut Capite præsentis ultimo, usum quoque eorundem, sive in quibus Morbis, quibusve subjectis tuto & cum fructu ea exhiberi possint, breviter monstrem.

§. II.

Omnes autem illi, quorum sanguis acrimonia prædatis. Sibus prædis & suo modo etiam adstringentibus scatet s. vitiose abundat, subjectum sunt, quibus Medicamenta Lapidosa summo cum emolumento exhiberi possunt tam præservatorie, quamdiu nimirum hæc acrimonia acida in humoribus saltem latet; quam curatorie quando demum ejusmodi humorum dispositio vitiosa, datâ levissima saltem causa occasionali, in partibus solidis varios morbos symptomatibus suis stipatos introduxit, quo ipso functiones quoque variis modis læduntur.

§. III.

§. III.

Nunc quoque morbos quosdam, qui ex hac vitiata humorum constitutione, tanquam causâ vel proxima vel antecedente provenire solent, & in quibus curandis Lapidosa usum sane potissimum præbent secundum functiones diversas his aliisque affectibus læsas, obiter saltem enumerare licebit.

§. IV.

Functiones itaque soli homini propriæ sive quæ immediate usum rationis concernunt, quorsum pertinent sensus interni, ut & loquela & risus, quatenus ideas seu conceptus mentis expriment. Læduntur ab acrimonia acida in humoribus abscondita, dum vel solitarie vel cum pituita mixta in spiritibus vel motum acceleratum vel confusum i. e. ex accelerato & retardato mixtum introducit, unde postmodum deliria vel simpliciter vel cum febribus ardentibus & malignis conjuncta, nec non mania, rabiei &c. diversæ species oriuntur. In hisce affectibus curandis, quoad indicationem, ab humoribus, salibus acidis aut adstringentibus repletis desumptam, Lapidosa vel sola vel cum aliis proportionate mixta insignem præstabit usum, dum hanc acrimoniam acidam in sanguine temperant, immutant, & ad evacuationem per purgantia instituendam, præparant. Quæ evacuatio autem locum non habet, ubi salia ejusmodi acida ex resolutione massæ sanguineæ originem ducunt, quippe quæ cum toto suo i. e. reliquis sanguinis partibus potius combinanda quam eliminanda sunt; quod probe observandum in deliriis cum febribus ardentibus & malignis supervenientibus. Indicatio vero, à spiritibus in motu peccantibus desumpta hujus loci non est, quia non per Lapidosa sed per alia Medicamenta obtinetur.

§. V.

Functiones, quas cum brutis communes habemus, animales

males dicta, quorsum pertinent motus & sensus externi, pari modo ab hac vitiosa constitutione sanguinis acida diversimode laeduntur, quæ læsiones sub variis morborum nominibus ab autoribus proponuntur, v. g. sub nomine spasmi, motuum convulsivorum varii generis &c. quorum causa proxima motus spirituum progressivus acceleratus quoad spasmus, quoad motus convulsivos autem eorundem motus confusus, causa antecedens vero acrimonia acida vel adstringens vel cum pituita mixta. Ex hac indicatione causæ antecedentis pariter usus Lapidosorum non contempnendus patet. Sensus quod attinet, sic a.) Olfactus in Coryza fluida &c. laeditur, cujus causa proxima est vitium humorum salinorum, in glandulis tunicæ narium pituitariæ stagnantium, eademque stimulantium. b.) Visus Affectus v. gr. pustulæ, sugillatio, ophthalmia, epiphora, lemæ &c. pariter ab humoribus acris magis minusve cum viscidis mixtis producuntur. c.) Gustus & d.) Auditus non minus quam reliqui depravantur, dum in priori saliva salibus acidis repleta Gustum depravare; ratione Auditus vero eadem acrimonia acida mox otalgiam, mox tinnitum aurium &c. introducere potest. e.) Tactus præternaturalis fit in dolore, cujus symptomata calor & rubedo sunt. Causa antecedens vero saliva vel acida vel adstringentia vel mixta; ad tactum etiam febres referri possunt, quarum causa antecedens ut plurimum acidum quoddam est. In hisce febribus, ut & reliquis recensitis aliisque sensuum externorum affectibus, Medicamenta Lapidosa, omnibus aliis sæpe incassum tentatis, cæteris paribus, insignem præstiterunt usum.

§. VI.

Porro functiones vitales, quæ immediate motum cordis, diaphragmatis & respirationem concernunt, præternaturales fiunt in Apoplexia: per consensum vero difficiles redduntur a flatibus, malo hypochondriaco, & passione hysterica &c. Quorum affectuum causam antecedentem constituunt humores acres diversi generis; quod etiam valet in Angina, Pleu-

Pleuritide, Cardiaca &c. Indicationes nunc horum affectuum omnium respirationem vel mediate vel immediate imminuentium, satis clare ostendunt, Lapidosa in eorum vitio humorum emendando maximam curæ partem absolute.

§. VII.

Functiones naturales, quæ in primis conservationi individui inserviunt, pariter non uno eodemque modo ab humoribus saburra hac acida scatentibus depravantur: v. g. 1.) in siti & 2.) fame, quæ non raro ab hisce salibus acrioribus augentur & depravantur; 3.) in masticatione, ob dolorem dentium &c. ab hac causa introductum, 4.) in deglutitione ob varios affectus faucium a salibus acidis provenientes; 5.) in chylicatione 6.) excretionibus 7.) sanguificatione in cacochymia sic dicta scorbutica & quidem acida &c. 8.) nutritione, dum ab intemperie hac calida & sicca tabes inducitur &c. In quibus affectibus omnibus lapidosa cum emolumento adhiberi possunt.

§. VIII.

Ultimo tandem functiones genitales dictæ, quæ absolute faciunt ad conservationem speciei, considerandæ sunt & quidem vel quoad functiones genitales ipsas, vel quoad earum effectum in sexu feminino. a.) Functiones genitales ipsæ tam ratione sexus masculini quam feminini varie ab hisce humoribus acidis &c. læduntur v. g. in impotentia ob membri virilis a salibus acrioribus & spasmo introductam satyriam, priapismum &c. ut & ob vitiosam constitutionem feminis ab acidis abortam, aliisque affectibus congressum secundum propter has causas impediens, qui tamen per usum medicamentorum lapidosorum non raro corrigi & emendari possunt. b.) Ad functionum genitalium in sexu feminino effectum quod attinet, & quidem 1.) conceptionem, sic ea vario modo præternaturalis, ob hanc vitiosam sanguinis constitutionem fieri potest v. g. in sterilitate &c. 2.) Formatio

fœtus depravatur pro constitutione seminis utriusque concumbentis nunc magis nunc minus vitiosa, 3.) nutritio & gestatio vel mediate vel immediate, ex vitiosa propter salium acidorum abundantiam, constitutione sanguinis læditur. 4.) Id quod etiam tenendum de partu, ubi salia acida nutritionem legitimam fœtus impediendo, partum accelerare, imo non raro exclusionem ejus dolorificam & difficilem introducere valent, 5.) lactatio vel imminuitur vel depravatur ab hisce salibus acidis in sanguine abundantibus. Ex dictis iterum patet, lapidosa & in hisce functionibus læsis, earumque causis emendandis, suo tempore maximum usum præstare.

§. IX.

Et hæc de usu quoque medicamentorum lapidosorum dicta sufficiant. Ubi paucis ostendere conatus sum, quomodo in morbis profligandis & curandis, non tam secundum eorum varia nomina, aut diversum partis affectum situm, quam secundum eorum causas differentes, usus medicamentorum rationalis atque legitimus eruendus & cum fructu applicandus sit. Qua sane methodo plures morborum species tutius, jucundius, citius & facilius curarentur in majorem Summi Numinis gloriam & Medicinæ honorem, proximique utilitatem. Cui Summo Numini nunc gratias quoque ago maximas pro concessa sua gratia auxiliatrice in hoc opere non solum suscipiendo, sed etiam ad finem perducendo, illudque supplex oro, ut laboribus meis ulterius benedicere velit.

F I N I S.

CO-

COROLLARIA.

I.

Lapidosa pretiosa non pretiosiores edunt effectus quam minus talia.

II.

Quo subtiliora eò mitiora, tantumque effectum hauri praestant.

III.

Arena effectus fundamentum super arena non est fundatum.

IV.

Lapidosorum simplicior preparatio utilior existit.

V.

Lapidosa vera sunt ant-acida.

VI.

Scorbuitique acidi Antidota.

VII.

Nonnunquam antifebriliuum cardo & apex.

VIII.

In omnibus morbis ab acido dependentibus maxime proficua.

IX.

In defectu spirituum in dosi refracta danda.

X.

X.
*Pro diversitate humorum vitiosorum diversis admiscenda
remediis,*

XI.
Sepe purgantium locum occupant.

XII.
Et digestivorum adinstar purgantibus commiscenda.

XIII.
Sitim ab acrimonia sistentia.

XIV.
In melancholia & deliriis ab acido sane miraculosissima.



01. A 6529

ULB Halle
002 928 701

3



Rehov







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
**MEDICAMENTA
LAPIDOSA**

ΕΝ ΕΚΙΑΓΡΑΦΙΑ ΣΙΣΤΕΝΣ,
DEO TER OPTIMO SECUNDANTE,
*AUCTORITATE ET CONSENSU GRAVIOSE FACULTA-
TIS MEDICÆ*

IN PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA,
SUB PRÆSIDIO

DN. HIERONYMI *Rudolff*,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,
FACULTATIS MEDICÆ AC PHILOSOPHICÆ ASSESSORIS ORDINARIJ, NEC
NON CHYMICÆ ET MATHEMATUM PROFESSORIS PUBLICI,
DOMINI PATRONI, HOSPITIS ET FAUTORIS HONORATISSIMI,

PRO LICENTIA

SUMMUM IN ARTE SALUTARI GRADUM CUM
ANNEXIS PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS
MORE RITUQUE CONSVETO CONSEQVENDI
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI SUBJECTA

CHRISTOPHORO THOMA,

GöRLICENSI,
AUTORE ET RESPONDENTE
DIE XI. FEBRUAR. ANNI MDCC XXI.
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS
HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Academiae Typographi.